

CLASSICAL TRIPOS Part I

---

Friday 6 June 2003 9 to 12

---

Paper 3

PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

*Answer **all** the questions.*

*Use a separate booklet for **each** section.*

**The examiners will give equal weight to each Section.**

*Write your **number** (not your name) on the cover-sheet of **each** Section booklet.*

**It is important to write good English.**

**You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator**

## SECTION A

*Translate:*

**A1** *Drastic punishment for a drastic crime.*

itaque cum multis ex rebus intellegi potest maiores nostros non modo armis plus quam ceteras nationes uerum etiam consilio sapientiaque potuisse, tum ex hac re uel maxime quod in impios singulare supplicium inuenerunt. qua in re quantum prudentia praestiterint eis qui apud ceteros sapientissimi fuisse dicuntur considerate. prudentissima ciuitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur; eius porro ciuitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, cum qui leges quibus hodie quoque utuntur scripserit. is cum interrogaretur cur nullum supplicium constituisset in eum qui parentem necasset, respondit se id neminem facturum putasse. sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere quam admonere uideretur. quanto nostri maiores sapientius! qui cum intellegerent nihil esse tam sanctum quod non aliquando uiolaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitauerunt ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ei magnitudine poenae a maleficio summouerentur. insui uoluerunt in culleum uiuos atque ita in flumen deici.

CICERO *Pro Sexto Roscio Amerino* 69–70

*culleus*: sack, bag

**A2** *An uncle's indefatigable habit of study.*

ante lucem ibat ad Vespasianum imperatorem (nam ille quoque noctibus utebatur), inde ad delegatum sibi officium. reuersus domum, quod reliquum temporis, studiis reddebat. post cibum saepe, quem interdum leuem et facilem ueterum more sumebat. aestate, si quid otii, iacebat in sole, liber legebatur, adnotabat excerpebatque. nihil enim legit quod non excerperet; dicere etiam solebat nullum esse librum tam malum ut non aliqua parte prodesset. post solem plerumque frigida lauabatur, deinde gustabat dormiebatque minimum; mox quasi alio die studebat in cenae tempus. super hanc liber legebatur, adnotabatur et quidem cursim. memini quendam ex amicis, cum lector quaedam perperam pronuntiasset, reuocasse et repeti coegisse; huic auunculum meum dixisse, 'intellexeras nempe.' cum ille adnuisset: 'cur ergo reuocabas? decem amplius uersus hac tua interpellatione perdidimus.' tanta erat parsimonia temporis. surgebat aestate a cena luce, hieme intra primam noctis et tamquam aliqua lege cogente.

PLINY THE YOUNGER *Letter III* 5

## SECTION B

*Translate:***B1** *Aeneas presides over a boxing-match between Dares and Entellus*

tum satus Anchisa caestus pater extulit aequos  
 et paribus palmas amborum innexuit armis.  
 constitit in digitos extemplo arrectus uterque  
 bracchiaque ad superas interritus extulit auras.  
 abduxere retro longe capita ardua ab ictu  
 immiscentque manus manibus pugnamque lacessunt,  
 ille pedum melior motu fretusque iuuenta,  
 hic membris et mole ualens; sed tarda trementi  
 genua labant, uastos quatit aeger anhelitus artus.  
 multa uiri nequiquam inter se uulnera iactant,  
 multa cauo lateri ingeminant et pectore uastos  
 dant sonitus, erratque auris et tempora circum  
 crebra manus, duro crepitant sub uulnere malae.  
 stat grauis Entellus nisuque immotus eodem  
 corpore tela modo atque oculis uigilantibus exit.  
 ille, uelut celsam oppugnat qui molibus urbem  
 aut montana sedet circum castella sub armis,  
 nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat  
 arte locum et uariis adsultibus inritus urget.

VIRGIL *Aeneid* v 424–442

*caestus*: boxing-glove  
*mala*: cheekbone

[TURN OVER

Romanae turre et uos ualeatis, amici,  
 qualiscumque mihi tuque, puella, uale!  
 ergo ego nunc rudis Hadriaci uehar aequoris hospes,  
 cogar et undisonos nunc prece adire deos.  
 deinde per Ionium uectus cum fessa Lechaeo  
 sedarit placida uela phaselus aqua,  
 quod superest, sufferre, pedes, properate laborem,  
 Isthmos qua terris arcet utrumque mare.  
 inde ubi Piraei capient me litora portus,  
 scandam ego Theseae bracchia longa uiae.  
 illic uel stadiis animum emendare Platonis  
 incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis;  
 persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,  
 librorumque tuos, docte Menandre, sales;  
 aut certe tabulae capient mea lumina pictae,  
 siue ebore exactae, seu magis aere, manus.  
 aut spatia annorum aut longa interualla profundi  
 lenibunt tacito uulnera nostra situ:  
 seu moriar, fato, non turpi fractus amore;  
 atque erit illa mihi mortis honesta dies.

PROPERTIUS III 21 15–34

*Lechaeum* was the port of Corinth

(a) caelo supinas si tuleris manus  
 nascente Luna, rustica Phidyle,  
 si ture placaris et horna  
 fruge Lares auidaue porca,

nec pestilentem sentiet Africum  
 fecunda uitis nec sterilem seges  
 robiginem aut dulces alumni  
 pomifero graue tempus anno.

nam quae niuali pascitur Algido  
 deuota quercus inter et ilices  
 aut crescit Albanis in herbis  
 uictima pontificum securis

ceruice tinget: te nihil attinet  
 temptare multa caede bidentium  
 paruos coronantem marino  
 rore deos fragilique myrto.

immunis aram si tetigit manus,  
 non sumptuosa blandior hostia,  
 molliuit auersos Penatis  
 farre pio et saliente mica.

HORACE *Odes* III 23

**Or** (b) siqua fides rebus tamen est addenda probatis,  
 nonne uides, quaecumque mora fluidoque calore  
 corpora tabescunt, in parua animalia uerti?  
 in scrobe delectos maectatos obrue tauros:—  
 cognita res usu — de putri uiscere passim  
 florilegae nascuntur apes, quae more parentum  
 rura colunt operique fauent in spemque laborant;  
 pressus humo bellator equus crabronis origo est.  
 concaua litoreo si demas bracchia cancro,  
 cetera supponas terrae, de parte sepulta  
 scorpius exhibit caudaque minabitur unca;  
 quaeque solent canis frondes intexere filis  
 agrestes tineae — res obseruata colonis —  
 ferali mutant cum papillione figuram.  
 semina limus habet uirides generantia ranas  
 et generat truncas pedibus, mox apta natando  
 crura dat, utque eadem sint longis saltibus apta,  
 posterior superat partes mensura priores.  
 nec catulus, partu quem reddidit ursa recenti,  
 sed male uiua caro est: lambendo mater in artus  
 fingit et in formam, quantam capit ipsa, reducit.

OIDID *Metamorphoses* xv 361–381

**Or** (c) uocibus his correpta uiri uix aegra leuauit  
 membra solo tales gemitu rumpente querellas:  
 'o utinam in thalamos inuisi Caesaris issem  
 infelix coniunx et nulli laeta marito!  
 bis nocui mundo: me pronuba ducit Erinys  
 Crassorumque umbrae, deuotaque manibus illis  
 Assyrios in castra tuli ciuilia casus,  
 praecipitesque dedi populos cunctosque fugauit  
 a causa meliore deos. o maxime coniunx,  
 o thalamis indigne meis, hoc iuris habebat  
 in tantum fortuna caput? cur in pia nupsi,  
 si miserum factura fui? nunc accipe poenas,  
 sed quas sponte luam: quo sit tibi mollius aequor,  
 certa fides regum totusque paratior orbis,  
 sparge mari comitem. mallet felicibus armis  
 dependisse caput: nunc clades denique lustra,  
 Magne, tuas. ubicumque iaces ciuilibus armis  
 nostros ultra toros, ades huc atque exige poenas,  
 Iulia crudelis, placataque paelice caesa  
 Magno parce tuo.'

LUCAN *Bellum Ciuile* viii 86–105